



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Bobo Conf. 23. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

sed perfidia etiam extincta est. Paulo post etiam alteri elemento imperavit, devocatoque de celo igne, Decorum delubrum exussit: ipse capite imminutus, & in proximum flumen sparsus, maximo & ultimo miraculo nihilominus ad beatitatis littus enatavit. *Ex Menais.*

S, BOBO CONF. 23. Maii.

**Q**uo tempore Mauri Hispaniâ potiti, Galliam etiam Narbonensem mali vicini terrebant, fuit BOBO noster patriæ suæ propugnaculi instar, homo nobilis cætera & militaris, sed qui sub fago tegere sciret virtutem, raram inter milites armaturam. Fortè hostis Fraxinetum insulam infederat, & crebris inde excursionibus multum rem Christianam vexabat. Hic BOBO ducibus Apostolorum Petro ac Paulo spolia optima vover, arma non hostis, sed suæ: positurum se ista, nec Ducem jam militum, sed pupillorum patronum fore. Ad hæc gratum se quotannis Romam iturum, & liminibus victricibus osculam laturum. Annuere Divi, & per quietem vis ammos addiderunt BOBONI; ille mox militibus, quibuscum per medios hostium euneos arcem ingressus, non modo obsidione hanc liberavit, sed barbarum regem insulam exiit, itaque terrorem à Galliâ longè amovit. Et hic triumphus BOBONIS de hostibus fuit, alter

alter de ipso BOBONE. Fratricidæ ob-  
vius, nutante aliquandiu in vindictam  
animi acie, sui tandem egregius victor,  
spolium ex inimici vultu osculum sus-  
pendit. Porro arma exuit, & orphano-  
rum jam Dux annis singulis pedes tri-  
umphum suum Romam duxit, dum ex  
itinere denique mortuus in caeleste Ca-  
pitoliū est investus. Mortui tumulum  
quotquot animalia calcarunt, in vesti-  
gio mortua monuerunt incolas, ut eum  
cancellis à profanâ terrâ secernerent, &  
templo honorarent. Ossa denique Ti-  
cinum translata memorant, pompæq;  
quò augustior hæc Foret, lumina è cæ-  
lo, & stellam adfuisse. *Ex Ferrar.*

## S. SIMEON STYLITES IVNIOR.

24. Maii.

**H**ominem caelestem, an terrestrem.  
Angelum SIMEONEM malis di-  
cere, tantò magis dubitabis, quantò  
rectius noveris. Votis parentum con-  
cessus futuræ sanctitatis vatem Christi  
anteambulonē Ioannem habuit, cui ne  
quid in victus parsimoniâ concederet,  
jejunia in cunis inchoavit, lacte matris  
ubere, velut omnis causâ, semper ab-  
stinens. Sexto ætatis anno ab hominum  
confortio in loca sola secessit, nun-  
quam tamen solus, calitibus easdem  
cum eo casas habitantibus. *Ex quo*

T 2

tem